

si res, seu opus illicitum quidem, tamen ex se ita constitutum est, ut mortis aut mutilationis periculum non inducat, exercens illud irregularis non est, etiamsi ex illo mors alterius casualiter, et fortuito sequatur, casu quo ad mortem evitandam, debitam diligentiam adhibuit, nisi in casibus a jure specialiter expressis. Ita Covarruvias in *Clem. un. h. t. p. 2, § 4, n. 10*. Navarrus cap. xxvii, n. 121. Avila de *Censuris. p. 7. Disp. 6, sect. 4, dub. 1, § Sed est tertia opinio*. Castro Palao de *Censuris. Disp. 6, pun. 15, § 4*. Suarez de *Censuris. Disp. 45, sect. 6, lib. IX. Sanch. de Matrimon. Disp. 32, n. 5*. Pirhing, h. t. n. 65, et alii. Prima pars probatur tum ex sacris Canonibus tum ex ratione a n. 191, allegata. Quibus accedit etiam hæc ratio, videlicet, quod, qui exercet opus ex se periculosum, et mortis inductivum, ac præsertim si propterea prohibitum est, huic periculum, et mors seu homicidium censeatur indirecte saltem, et in causa voluntarium; consequenter merito eidem imputatur ad culpam, et poenam; nec excusat ipsum diligentia ad vitandam mortem adhibita; quia jure præsumitur, quod in similibus operibus diligentia sufficiens ad vitandam mortem, vel non adhibeatur, vel etiam adhibita non sufficiat.

196. *Si vero actio illicita, ex qua homicidium casuale sequitur, tale periculum ex se non inducit, irregularitas non contrahatur.* — Ratio secundæ partis est; quia homicidium casuale ex simili actione illicita nec directe, nec indirecte sed in causa sicque nullo modo voluntarium est operanti, si debitam pro illo vitando diligentiam adhibuit. Non est illi voluntarium directe, ut supponitur; nec indirecte, seu in sua causa; quia, uti pariter supponitur, talis actio ex se vel natura sua non causativa periculi mortis, nec hanc facile inducens: Si autem homicidium ex tali actione sequens operanti, nullo modo est voluntarium, eidem ad culpam imputandum non est; consequenter nec ad poenam irregularitatis; cum hæc in casu homicidii casualis non nisi propter culpam in homicidio repertam imputetur.

197. *Quod probatur etiam. Remissive.* — Eandem hanc secundam partem conclusionis habes Lib. I, tit. XX, a n. 32.

198. *Et solvuntur objectiones contra hanc secundam partem distinctionis.* — Nec huic secundæ parti conclusionis obstant fundamenta a n. 191, adducta. Nam ad primum

ex allegatis Canonibus adductum respondetur, in pœnalibus non valere argumentum a sensu contrario; præsertim in materia irregularitatis, utpote quæ non contrahitur nisi in casibus a jure aperte expressis, c. *Is qui de Sentent. Excomm. in 6*. Quod si quis contendat, vi sacrorum Canonum omnes homicidas universaliter esse irregulares; solis exceptis casibus, quibus homicidium ex re licita sequitur, adhibita ad illud evitandum omni debita diligentia, respondetur, canones illos universaliter loqui de homicidiis saltem aliquantulum seu aliquo modo voluntariis, non item de involuntariis, arg. *Clem. un. h. t.* qualia sunt, de quibus agit secunda pars conclusionis.

199. Ad rationem respondetur, irregularitatem nihilominus facilius contrahi ob homicidium ex illicita quam licita actione secutum; quia dans operam rei licitæ, præsumitur debitam diligentiam adhibuisse ad vitandum homicidium; e contra vero dans operam rei illicitæ, hanc præsumptionem pro se non habet, sed probare debet, diligentiam a se fuisse adhibitam. Castro Palao cit. § 4, n. 6.

200. *Clerici medicinam et chirurgiam exercentes sunt irregulares, si mors inde casualiter sequitur.* — Ad confirmationem respondetur, de homicidiis ex chirurgia, vel medicina a clericis adhibita, esse specialem juris dispositionem, vi cujus clericis, in sacris constitutis, et monachis chirurgiam exercere, et medicinam aliis præbere non tantum est prohibitum, sed etiam expresse statutum, quod transgressores sint irregulares, prout amplius diximus. Lib. III, tit. fin. *Ne clerici, vel monachi, a n. 16*.

201. *Non item si mere casualiter sequitur ex ipsorum venatione.* — Infertur, clericum vacantem venationi, ex qua casuale sequitur homicidium, non esse irregularem, si pro eo vitando debitam adhibuit diligentiam. Castro Palao de *Censuris disp. 6, pun. 15, § 4, n. 7*. Covarruvias in *Clem. un. h. t. p. 2, § 4, nu. 10*, et alii. Ratio est, quia licet venatio clericis sit prohibita et illicita c. 1, et 2, de *Cleric. venat.* quia tamen venatio apud peritos ex se non est periculosa, et mortis inductiva, homicidium ex ea fortuito secutum, irregularitatem non inducit.

202. *Homicidium casuale ex opere illicito quando inducit irregularitatem etiam alias saltem extraordinarias juris penas secum trahit.* — Resp. II. Homicidium casuale, ex

opere illicito secutum, præter irregularitatem etiam alias juris penas, non quidem ordinariam ultimi supplicii, sed extraordinariam inducit, si tale opus ex se, vel natura sua inducit periculum mortis. Patet conclusio tum ex dictis n. 195, tum ex dicendis infra.

203. *Requiritur autem culpa gravis in omittenda diligentia cavendi mortem ex opere illicito nullum mortis periculum secum habenti.* — Cæterum ad hoc ut quis incurrat irregularitatem ob homicidium proveniens ex actione illicita, quæ ex se periculosa et mortis inductiva non est, requiritur, ut interveniat graviter peccaminosa omissio diligentia debita vitandi homicidium per fundamenta supra n. 187, allegata.

204. *Homicidium, quod quis in ebrietate usum rationis non adimente committit, irregularitatem inducit.* — Quæritur III. An, et quando homicidium in ebrietate commissum inducat irregularitatem, et alias juris penas? Ante responsionem notandum, non esse hic quæstionem de illa ebrietate, et intemperiori potu, quo quis usu rationis non privatus, animosior duntaxat, et audacior effectus, vel ad insolitam iram, et temeritatem excitatus occidit, vel mutilat; talem enim irregularem esse, et quidem ex homicidio voluntario, non casuali, ac propterea etiam aliis pœnis juris subjacere, extra controversiam est: sed est quæstio de ebrietate usu rationis privante. Hoc notato.

205. *Commissum autem in ebrietate usum rationis adimente irregularitatem non facit.* — Resp. I. Homicidium casuale ab ebrio, usu rationis privato commissum, irregularitatem non inducit, si ebrietas ex vino, vel alio potu, plus, quam æstimabatur, forti, et generoso, vel alias inopinato, et absque ulla voluntate accidit: Imo etiam quando ebrietas fuit voluntaria quidem, et graviter peccaminosa, homicidium tamen nullo modo fuit intentum, nec prævisum, nec rationabiliter prævideri potuit. Covarruvias, in *Clem. un.*, p. 3, n. 3. Barbosa, in cit. *Clem.*, n. 10. Navarrus, *Manual.*, cap. xxvii, n. 230. Azorius, *Instit. Moral.*, p. 1, lib. VII, c. 33, q. 7, et alii contra Sylvestrum, § *Homicidium*, 3, q. 4, n. 5, ac nonnullos alios, arg. cit. *Clem. un. h. t.* Ratio est, tum quia sicut in dicta *Clem.* ob defectum usus rationis ab irregularitate immunis est homicidium committens furiosus, aut infans, aut dormiens, sic ab eadem immunis erit ebrius homici-

dium committens, cum, uti supponitur, et iste usu rationis tempore ebrietatis careat: tum quia homicidium præfato modo in ebrietate commissum, penitus est involuntarium, et caret omni culpa, consequenter et poena præsertim irregularitatis carere debet; eo quod homicidium privata auctoritate sine culpa factum irregularitatem non inducat; cum nullibi in jure reperitur actui privato culpa vacanti irregularitatem esse annexam, consequenter subintret dispositio c. *Is qui de Sentent. Excomm.*, in 6, ubi statuitur irregularitatem non incurri, nisi in casibus a jure expressis.

206. *Etiam si voluntarie et gravi cum culpa se quis inebriet.* — Nec refert, si quis voluntarie, et gravi cum culpa se inebriavit; quia licet in tali casu ebrietas ad culpam imputetur, tamen factum in ea homicidium, vel alius actus culpa, consequenter et poena vacat, arg. can. *Inebriaverunt*, 9, et *seqq. cau. 15, q. 1*, ubi Lot ob ebrietatem ex nimio vino sibi obvenientem culpabilis quidem, ob incestum tamen cum filiabus in ea commissum a culpa immunis declaratur.

207. *Dummodo homicidium prius non intendat, nec prævideat, nec rationabiliter prævidere possit.* — Dicitur autem notanter in conclusione, n. 205, posita, si homicidium nullo modo fuit intentum, nec prævisum, nec rationabiliter prævideri potuit. Nam si quis studiose eo animo se inebriat, ut in ebrietate alterum interficiat, consequenter homicidium intendat: vel si quis quidem non intendit, scit tamen, quod in ebrietate homines periculose invadere, et propterea in periculo homicidii versari soleat, consequenter hoc prævideat, vel saltem rationabiliter prævidere debeat, irregularis utique efficitur, si homicidium in ebrietate quantumvis usus rationis privatus existit, uti cum communi aliorum bene docent doctores, n. 205, citati. Ratio patet, quia in tali casu homicidium saltem indirecte, et in causa est voluntarium, consequenter merito ad culpam imputatur, et poenam.

208. *Sicut ab irregularitate, ita etiam ab aliis juris pœnis immunis est, homicidium in ebrietate usum rationi adimente committens.* — Resp. II. Sicut ab irregularitate, ita etiam ab omni alia poena in utroque foro tam civili, quam canonico immunis est, qui in ebrietate homicidium committit, casu, quo ebrietas inopinato, et ex improvise sine culpa bibentis contingit. Communis et certa,

utriusque juris doctores et theologi. Ratio est, quia, ubi prorsus nulla culpa est, nulla etiam poena esse debet: Nam juxta sacras Litteras, Deut., cap. xxv, v. 3: « pro mensura peccati, erit plagarum modus. » Hinc c. *Felicitis*, 5, de *Poenis*, in 6, ita statuitur: Judex poenam metietur ex culpa; siquidem omnis poena, ait S. Augustinus, lib. I, *Retract.*, cap. ix: « Si justa est, peccati poena est. » Quare si homicidium ab infante, furioso, et amente commissum ob defectum culpae, nulli poenae subjacet, l. *Infans*, 12, ff. *ad Leg. Cornel. de Sicar.* et can. *Aliquos*, cau. 15, q. 1. Sic idem dicendum erit ob paritatem rationis de homicidio a praefato ebrio commissum: praesertim cum etiam pro hujusmodi ebriis militet ratio in cit. can. aliquos expresse illis verbis: « Quomodo enim reus constitueretur, qui nescit, quid faciat. »

209. *Etsi voluntarie se inebriet.* — Et quoniam jura et rationes num. praeced. pro inculpabiliter inebriato militant etiam de illo, qui quidem culpabiliter se inebriavit, homicidium tamen nullo modo praevitit nec rationabiliter praevitit potuit, etiam talem sicut ab irregularitate, ita ab omni alia juris poena (loquendo de jure naturali) immunem declarant Molina, de I, et I, tract. III, disp. 38, n. 8. Lessius, lib. IV, de I, et 1, cap. III, n. 27. Layman, lib. III, tr. III, cap. IV, n. 2. Gutierrez, lib. II, can. qq. cap. IV, n. 95.

210. *Quamvis hinc specialia statuta, et consuetudines locorum poenam saltem extraordinariam infligant.* — Dicitur tamen notanter loquendo de jure naturali; quia ex specialibus statutis, vel consuetudine allegatis num. praeced. homicidium committentes in ebrietate culpabili, puniuntur saltem poena extraordinaria. uti bene observat Layman, loc. cit. ad finem, arg. l. *Aut factae*, 16, § 8, de *Poenis*.

211. *Qui ab experientia scit, se in ebrietate homines periculose invadere, irregularis est.* — Resp. III. Qui sufficienti experientia edoctus scit, se in ebrietate solere homines periculose invadere, et tamen voluntarie, ac culpabiliter se inebriat, praeter irregularitatem, etiam jure civili statutam non quidem ordinariam, sed extraordinariam poenam homicidii, contrahit. De irregularitate patet ex dicta supra, n. 207.

212. *Et alias, non tamen ordinariam, juris poenas incurrit, morte vel mutilatione secuta.* — De aliis non quidem ordinariis, sed ex-

traordinariis duntaxat poenis, docet Menochius, de *Arbitr. Judic. casu* 325, num. 3, Clarus, § *fin.*, q. 60, num. 12. Covarruvias, in *Clem. un. h. t.*, p. 3, num. 4, et alii. Ratio est, quia poena ordinaria ultimi supplicii iis duntaxat homicidiis vi legis Corneliae infligitur, qui homicidium ex proposito, et dolo perpetrant, l. 1, prin. et § 1, et 3, item l. in lege, 7, ff. *Ad leg. Cornel. de Sicar.* dolo autem, vel ex proposito talis ebrius, ut supponitur, nec occidere praesumitur, arg. l. *Perspiciendum*, 11, § 2, ff. de *Poenis*.

213. *Solvitur objectio. Culpa lata an, et quando aequiparetur dolo?* — Nec refert, quod tale homicidium censeatur saltem indirecte voluntarie commissum, et ex culpa lata, quae aequiparatur dolo, l. *Quod Nerva*, 32, ff. *Depositum*. Respondetur enim, culpam latam aequiparari quidem dolo in contractibus, non vero in delictis poenam corporalem, vel infamiam inducentibus, arg. cit. l. in lege, 7, ff. *ad leg. Cornel. de Sicar.*, juncto c. *Odia*, 15, et c. in *Poenis*, 49, de *Reg. jur.*, in 6.

## § VI.

## DE DISPENSATIONE ET IRREGULARITATE ORTA EX HOMICIDIO, VEL MUTILATIONE.

214. *De tribus an dispensare valeant? est quaestio, Papa videlicet, episcopo, et regularibus.* — Ante responsum notandum de tribus praecipue quaeri posse, an, et in quibus irregularitatibus dispensare valeant? de Papa videlicet, episcopis, et privilegiatis, praesertim regularibus. De quibus singulis singula instituemus quaesita. Hiuc;

215. *Papa in quavis irregularitate potest dispensare.* — Quaeritur I. An, et in quibus irregularitatibus ex homicidio provenientius dispensare valeat Papa? Resp. I. Papa, sicut in quavis alia, ita etiam in irregularitate ex homicidio quocumque tandem proveniente dispensare potest. Unanimis et certa. Ratio est, quia omnis irregularitas non nisi jure ecclesiastico est introducta; in hoc autem Papam dispensare posse, explorati juris est; can. *Inferior*, 4, dist. 21, et c. *Proposuit*, 4, de *Concessione Praebend.*, ibi: « Qui secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jura dispensare. »

216. *Solvitur instantia.* — Nec obstat, quod irregularitas ex homicidio praesertim injusto dicatur indispensabilis; quia hoc intelligi debet, non quasi in ea etiam Papa dispen-

sare absolute non valeat, sed quod raro, et difficillime, et fere non nisi cum religiosis, vel qui religionem in aliquo ordine mendicantium intrare vult, dispensare soleat, ut cum communi bene advertit Covarruvias, in *Clem. un. h. t.*, p. 2, § 3, num. 3. Abbas, in c. *Sicut*, 6, num. 12 h. t. et alii.

217. *Quamvis episcopus possit dispensare in quavis irregularitate proveniente ex delicto occulto.* — Quaeritur II. An, et in quibus irregularitatibus ex homicidio provenientius dispensare valeat episcopus? Resp. I. Quamvis episcopus possit in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientes dispensare, tamen circa irregularitatem ex homicidio ortam antiquis, quidquid dicant, canonibus dimissis, hodie duplicem observare tenetur dispositionem concilii Tridentini, quarum prima est, sess. 14, de *Reform.*, cap. VII, sic sonans: « Qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen illud occultum fuerit, nullo tempore ad ordines promoveri possit, nec illi aliqua beneficia ecclesiastica conferre liceat, sed omni ordine, ac beneficio, ac officio ecclesiastico perpetuo careat. Si vero homicidium non ex proposito, sed vim vi repellendo, ut si quis se a morte defenderet, fuisse commissum narretur, quam ob causam etiam ad Sacrorum Ordinum, et altaris ministerium, et beneficia quaecumque, ac dignitates jure quodammodo dispensatio debeat; committatur loci ordinario, aut ex causa metropolitano, aut viciniori episcopo, qui non nisi causa cognita et probatis precibus ac narratis, nec aliter dispensare possit. »

218. Altera vero, Sess. 24, cap. VI, ita sonat: « Licet Episcopis in irregularitatibus omnibus, et suspensionibus ex delicto occulto provenientes, excepta, quae oritur ex homicidio voluntario, ex exceptis aliis, deductis ad forum contentiosum dispensare, etc. »

219. *Nequit tamen dispensare in irregularitate ex homicidio injuste directe intento, quantumvis occultum existat.* — Resp. II. Nequit episcopus dispensare in irregularitate proveniente ex homicidio voluntario injusto directe intento (de quo egimus supra, § II) quantumvis sit occultum. Barbosa, in concil. Trident. cit., Sess. 24, de *Reform.*, cap. VI, num. 30. Navarrus, *Manual.*, cap. XXVII, num. 240. Covarruvias, in *Clem. Si furiosus*, h. t., p. 2, prin. et § 1, num. 2. Pirhing, h. t., n. 125, cum communi et certa

aliorum. Ratio pariter, quia quidquid sit de jure antiquo, potestatem dispensandi in praefato homicidio episcopis non competere a concilio Trident. cit., Sess. 24, cap. VI, vel declaratum vel de novo statutum fuit, ubi per homicidium voluntarium intelligi injustum directe intentum, et volitum, bene observant doctores supra citati.

220. *Neque in irregularitate ex defectu lenitatis ex homicidio auctoritate publica in malefactores, vel in bello justo facto.* — Resp. III. Pariter non potest episcopus dispensare in irregularitate, quam ex homicidio justo publicata auctoritate facto in judicio sanguinis, et in bello justo ob defectum lenitatis contrahunt iudices, et alii officiales, ac ministri ad mortem propinque concurrentes (de quibus supra § III, a n. 75, egimus) item milites in bello etiam justo pugnantes (de quibus cit. § III, a n. 115.) Suarez, de *Irregular.*, disp. 47, sect. 6, in fine. Castro Palao, de *Censuris*, disp. 5, pun. 4, § 7, n. 6. Avila, de *Censuris*, disp. 6, sect. 5, dub. 1, concl. 1. Gutierrez, can. qq., lib. II, cap. VI, n. 170. Garcias, de *Benefic.*, p. 7, cap. XI, n. 40. Navarrus, *Manual.* cap. XXVII, n. 217 et lib. V. Consil. consil. 39, h. t. Layman, lib. III, tr. III, par. 3, cap. XII, n. 5. Pirhing, h. t., n. 129, cum communiori et probabiliori aliorum. Ratio est, quia vi concilii Tridentini, loc. cit., episcopis conceditur potestas dispensandi duntaxat in irregularitatibus ex delicto occulto provenientes, ut patet ex textu supra, n. 218, relato. Atqui homicidium publica auctoritate juste factum, non est delictum, ergo. Accedit consuetudo, et praxis, quae est optima legem interpret, l. ff. de *Leg.*, constat enim episcopos cum nullo ex praefatis ob defectum lenitatis irregularibus dispensare, sed illos ad Curiam Romanam dirigere solere, prout etiam stylus Curiae, qui pro lege habetur, c. ex *litteris de Constit.* idem tenet.

221. *Bene vero in irregularitate orta ex homicidio ob sui, vel aliorum defensionem facto, non servato moderamine inculpatæ tutelæ.* — Resp. IV. E contra vero potest episcopus dispensare in irregularitate proveniente ex homicidio occulto causa defensionis facto, non servato moderamine inculpatæ tutelæ (de qua supra § IV, a n. 147.) Gutierrez, can. qq., lib. I, cap. LXV, n. 13. Barbosa, in concil. Trident., loc. cit., n. 32. Navarrus, *Manual.* cap. XXVII, n. 239. Layman, loc. cit., n. 2. Avila, de *Censuris*, disp. 6, sect. 5,